

communiter, juxta jus civile, notantur gradus imperii meri. Primus seu supremus continet poenas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, decapitationis, etc. Secundus complectitur poenam mortis civilis; ut deportationis, hodie banni imperialis. Tertius respicit poenas non capitales, tum corporis afflictivas, tum infamosas; ut amputationis manuum, fustigationis, sistentiæ ad numellas. Engel, tit. de Offic. judicis. n. 17. Christophorus Chlengersperger, lib. I. Collegii Instit. Justinian. tit. 20, quæst. 6, et alii.

23. *Alia jurisdictionis simplicis, et imperii mixti, ac meri, definitio.* — Fateor, quod Glossa in explicatione arboris jurisdictionum ad tit. ff. de Jurisdic. omn. judic. præfixæ, datas jurisdictionis species sub aliis terminis definiat, dicendo: *Jurisdiclio simplex est, quæ officio judicis mercenario expeditur, privatam utilitatem respiciens. Imperium mixtum vero est jurisdictionis, quæ officio judicis nobili exercetur, privatam utilitatem respiciens. Tandem Imperium merum est jurisdictionis, quæ officio nobili judicis, vel per accusationem exercetur, publicam utilitatem respiciens.* Ita Glossa loc. cit. post Bartolum in l. Imperium. ff. de Jurisdic. omn. judic.

24. *Officium nobile, et mercenarium judicis, quod?* — Per *Officium nobile judicis* intelligitur illud, quod non deservit alicui actioni; sed iudex ex se, ac veluti motu proprio, sic suadente æquitate procedit. *Mercenarium vero dicitur, quod deservit actioni intentæ per partem.*

25. *De jure canonico an detur imperium merum?* — Quæritur V. An etiam de jure canonico detur imperium merum? Negat Zoesius, h. t. n. 18, eo quod imperium merum sit, habere jus gladii ad animadvertendum in facinorosos, per dicta, n. 21. Atqui « Sancta Dei Ecclesia gladium non habet, nisi spirituale: non occidit, sed vivificat, » prout loquitur textus in can. *Inter hæc* 33, q. 2; ergo. Oppositum nihilominus est tenendum cum Glossa magna, et Abbate in c. *Quod sedem*. n. 5. de Offic. ordin. et Engel, eod. tit. n. 42, ac aliis. Nam ex eo, quod in Ecclesia non detur primus gradus imperii meri, videlicet potestas gladii, seu inferendi mortem naturalem, male concluditur eam nullatenus habere merum imperium: quia sic argumentando, procederetur a particulari ad universale.

26. *Et quæ ad istud spectent?* — Itaque de jure canonico ad merum imperium spectat

potestas *Gladii spiritualis*, excommunicatio videlicet, quæ poenis capitalibus comparatur; ut c. *Per venerabilem*, § *Sunt autem; Qui filii sint legitimi*. Item potestas degradandi, et tradendi curiæ sæculari juxta Glossam in c. *Quod sedem*. § *Committere*, ante fin. de Offic. ordin.; hoc enim æquiparatur ultimo supplicio, ut notat Innocentius c. *Qualiter et quando* in 2. de Accusationib. Insuper potestas verberibus publice castigandi, ac in exilium deportandi; de qua fit mentio in cap. *Calumniat*. cum concordantiis ibidem a Glossa relatis. Item potestas perpetuis carceribus mancipandi, et hujusmodi.

§ II

DE JUDICI DELEGATO, EJUSQUE DIFFERENTIIS AB ORDINARIO.

27. *Judex delegatus, quis quibusque aliis nominibus appellatur?* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit iudex delegatus? Resp. I. *Judex delegatus est, qui non habet jurisdictionem vi proprii officii, sed eam exercet ex beneficio et commissione alterius, cujus vice fungitur. Et talis alio nomine in jure appellatur Judex datus; ut c. Judex*. 5. h. t. in 6. Item *Judex extraordinarius*, ut c. de Cætero 5. de Transact. Item *Commissarius*, ob vices alterius sibi commissas.

28. *Et quomodo differat a vicario?* — Differt autem iudex delegatus a vicario, ac proinde de utroque sub diversis rubricis agitur. Nam per *Vicarium* intelligitur ille, qui gerit vices ordinarii in eodem loco, ac tribunale, in quo consuevit ipse ordinarius sedere; secus accidit in delegato, ut jam dictum tit. præc. § 1. n. 17.

29. *Judex ordinarius, quis?* — Porro *Judex ordinarius* dicitur ille qui potestatem judicandi jure proprio habet; hoc est, ex vi sui officii, ac eo ipso, quod est talis: ut episcopus, præses provinciæ, ac hujusmodi, estque jam dictum supra n. 11, explicando jurisdictionem ordinariam, et delegatam.

30. *Judicum delegatorum variae sunt species.* — Resp. II. *Judicum delegatorum variae sunt species, seu divisiones. Atque imprimis alii sunt delegati ad universitatem causarum, alii ad causam dumtaxat particularem.*

31. *Delegatus ad universitatem causarum, et delegatus ad causam particularem, quis?* — *Delegatus ad universitatem causarum* dicitur ille, cui vel omnes universim causæ,

vel saltem certum genus causarum, v. g. matrimonialium, decimarum, etc. sub uno nomine colectivo committuntur; sive dein illud sit restrictum quoad tempus, puta decem annorum, vel quoad locum, nempe ad causas in tali loco occurrentes, sive non; Bartolus in l. *Legatos*, n. 4, ff. de Offic. proconsul.; Sanchez, lib. III, de Matrim. disp. 31, n. 4; Pirhing, h. t. n. 2 et alii. *Delegatus ad causam particularem* econtra dicitur ille, cui una vel altera tantum causa particularis, hic et nunc emergens, dijudicanda, et terminanda committitur.

32. *Et quæ differentie utriusque?* — Est autem notabilis differentia inter utrumque. Nam delegatus ad universitatem causarum, reputatur quasi ordinarius, juxta dicenda n. 63, non item delegatus ad causam particularem. Deinde delegatus ad universitatem causarum potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam: secus est de delegato ad causam particularem, nisi is sit delegatus a supremo principe, c. *Cum causam*, 62, juncta Glossa § *Delegatus, de Appellat.* atque ex professo dicitur infra num. 55, et seqq. Tertio delegatus ad universitatem causarum proprie, ac in rigore juris loquendo, dicitur habere *mandatam jurisdictionem*: alter vero proprie *delegatam*, ut dictum supra § 1, num. 14 et seqq. Tacentur aliæ differentie.

33. *Delegati ab homine, qui?* — Secundo alii sunt delegati ab homine, alii a jure. Priores, seu *Delegati ab homine*, ideo sic dicuntur, quia delegationem suam immediate habent ab homine, seu a iudice, vel magistratu ordinario: ut sunt delegati Papæ, delegati imperatoris, regum, aut aliorum principum, vel magistratum.

34. *Delegati a jure, qui?* — Delegati a jure sunt illi, qui delegatam jurisdictionem habent ex commissione juris communis. Exemplum hujus habetur in c. *Ad abolendam*, § fin. de Heretic., ubi facultas contra exemptos in causa hæresis procedendi datur episcopis, tanquam a Sede Apostolica delegatis. Simile quid habetur in c. *Irrefragabili*. § *Cæterum, de Offic. ordin.* ibi: « Tanquam super hoc delegatus a nobis. » Et Clem. 1, de Supplend. neglig. prælat. ibi: « In exemptis vero Apostolica auctoritate, » et alibi. Id ipsum fit in concilio Tridentino, sess. 5, cap. 1, et sess. 6, cap. 11, de Reform. et alibi sæpius; prout ostendit Barbosa, part. III, de

Offic. et potest. episcop. allegat. 92, num. 4.

35. *Et cur horum jurisdictio sit delegata; non ordinaria?* — Nec dicas: Si talis jurisdictio defertur a jure seu canone, ergo ipsa erit ordinaria, et non delegata, juxta dicta n. 11. Resp. enim cum Barbosa cit. allegat. 92, n. 3 et aliis, neg. sequel. Adhuc enim jurisdictio illa, quæ tribuitur episcopis virtute talis clausulæ, est delegata, non ordinaria, haud obstante, quod a jure communi deferatur: quia videlicet committitur ipsis, non sub ratione officii, sed per modum specialis commissionis, seu delegationis; ut ipsum nomen, « tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, » importat. Id ipsum amplius a sensu contrario desumitur ex c. *Licet in corrigendis*, 12, de Offic. ordin. ibi: « Ab episcopo, non tanquam delegato, sed tanquam ordinario faciendis. »

36. *Clausula: Tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quid importet?* — Porro clausulæ hujus, *Tanquam Sedis Apostolicæ delegatus*, ille est effectus, quod in eo casu non fiat appellatio ab episcopo ad archiepiscopum, prout alias fieri posset; sed solummodo ad Summum Pontificem, tanquam a delegato ad delegantem. Glossa in d. c. *Licet in corrigendis*, § *Tanquam delegatus, de Offic. ordin.* et alii. Unde, licet in congregationibus, tempore concilii Tridentini ante primi decreti editionem habitis, gravissimi regularium exemptorum motus acciderint; iidem tamen tempestive per hujus clausulæ adjectionem sedati fuere, ut sic negata appellatione ab episcopo ad metropolitanum, non cogerentur religiosi cum præjudicio disciplinæ regularis per judicia forensia multum circumvehi.

37. *Clausula: Etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, quid importet?* — Interdum vero prædictæ clausulæ additur particula *Etiam*, v. g. episcopis concedendo, ut procedere valeant *Etiam tanquam delegati Sedis Apostolicæ*, prout loquitur concilium Trident. sess. 22, cap. x, de Reform. sive, ut sess. 6, c. 11, de Reform. loquitur *Etiam auctoritate Apostolica*. Et tunc particula *etiam*, quæ est augmentativa, et implicativa præcedentium, præter jurisdictionem delegatam simul implicat, et involvit jurisdictionem ordinariam: adeo ut eo casu episcopus duplicem habeat potestatem, unam scilicet ordinariam, et alteram delegatam, quæ ipsi tribuitur a concilio, et accumulatur potestati ordinariæ. Fagnanus in c. *Ad audien-*

tiam, n. 54, de Eccles. edific. Barbosa cit. allegat. 92, n. 11 et alii.

38. *In dubio, an tunc censeatur episcopus uti jurisdictione ordinaria, vel delegata?* — Atque ex his inferitur, quod in tali casu possit episcopus uti jurisdictione ordinaria, vel delegata, qua maluerit: quamvis in dubio censeatur voluisse uti delegata. Et hoc merito: tum quia potestas Papæ delegata, sibi magis est honorifica, c. *Sane quia nos*, 11, h. t.; tum quia propter appellationem ad Summum Pontificem dumtaxat concessam, rarius contingit appellari. Barbosa, loc. cit. n. 14; Sanchez, lib. VII, in *Decalogum*, cap. XXIX, num. 181; Engel, h. t. n. 5.

39. *Delegati alii sunt ratione dignitatis, alii ratione personæ; et quæ differentia inter eos?* — Tertio alii sunt *Delegati ratione dignitatis*, quam obtinent, ut si fiat delegatio episcopo Frisingensi, vel abbati cujusdam certi monasterii, non expresso nomine personæ delegatæ, c. *Quoniam*, 14, h. t. Alii e contra sunt *Delegati ratione personæ suæ*, et non dignitatis, ut si expresso nomine proprio fiat delegatio Petro, vel Paulo. Et hæc, cum sit personalis, mortua persona delegati expirat; illa vero, cum sit realis, ac dignitati annexa, transit ad successorem. cit. c. *Quoniam*, 14, h. t.

40. *Alii tandem sunt delegati, alii subdelegati.* — Tandem alii sunt delegati, quibus videlicet primo loco delegata, seu mandata fuit jurisdictio. Alii vero subdelegati, qui nimirum a delegatis iterum delegantur.

41. *Judex delegatus multipliciter differt ab ordinario.* — Queritur II. Qua ratione differat judex delegatus ab ordinario? Resp. I. Multiplex inter utrumque, sicut et inter jurisdictionem delegatam et ordinariam, intercedit discrimen; adeo, ut Maranta in *Speculo aureo*, part. IV, dist. 5, n. 23, quadraginta differentias inter utrumque judicem enumeret, quarum præcipuas huc juvabit apponere.

42. I. *Ordinarius exequitur jurisdictionem jure proprio; delegatus jure alieno, etc.* — Primo siquidem differunt: quia judex ordinarius habet propriam jurisdictionem, et suo jure illam exequitur, non alieno beneficio, l. *More majorum*, ff. de *Jurisdict. omn. judic.* Delegatus e contra habet jurisdictionem jure alieno, et non proprio: quamvis enim habeat jurisdictionem aliquam, videlicet delegatam: nihilominus hanc non habet ex vi proprii officii, sed ex beneficio

alterius, scilicet delegantis, qui hanc in ipsum transtulit, eamque libere revocare potest, l. 1. § *Qui mandatam*, ubi Glossa et Bartolus, ff. de *Offic. ejus, cui mandata est jurisdict.* et l. *Etsi prætor*, ff. eod. et l. *Solet*, ff. de *Jurisdict. omn. judic.* juncta l. *Judicium*, 38, ff. de *Judiciis*.

43. II. *Ordinarius potest delegare suam jurisdictionem; non sic delegatus, etc.* — Secundo differunt: quia judex ordinarius regulariter potest delegare suam jurisdictionem, utpote quam habet jure proprio, cit. l. *More majorum*, et c. *Cum episcopus*, de *Offic. ordinari.* in 6, cum similibus. Econtra delegatus, utpote jure proprio jurisdictionem non habens, absque speciali concessione per delegantem sibi facta, delegare seu subdelegare non potest: nisi fuerit delegatus principis, puta Papæ; vel delegatus ad universitatem causarum, juxta amplius dicenda inferius § 3, num. 55 et 57, et seqq.

44. III. *Citatus ab ordinario, si dubitet de jure citantis, tenetur venire: secus in delegato, donec hic se legitimaverit.* — Tertio differunt, quia citatus a judice ordinario, si dubitetur de jure citantis, tenetur venire, et exceptionem suam proponere, l. *Si quis ex aliena*, 5, ff. de *Judiciis*. Nam, ut ibidem loquitur textus: « Prætoris, seu judicis est, existimare, an sua sit jurisdictio: Vocati autem est, non contemnere auctoritatem prætoris. » Et hinc in jus vocati tenentur venire, privilegium, si quod habent, allegaturi; prout ibidem subjungitur: etenim, cum judici ordinario competat jurisdictio jure proprio, ac vi sui officii, semper præsumitur pro jurisdictione ordinaria, donec aliud probetur. Econtra citatus a delegato comparere non tenetur, nisi sibi de delegatione prius fides fiat, arg. c. *Cum in jure*, 31, h. t. ac tradit Abbas, ibid. n. 3, et Felinus, n. 5; Maranta, loc. cit. num. 59; Engel, h. t. n. 6, et alii. Nam aliquem esse delegatum, est quid facti; facta autem non præsumuntur, nisi probentur: unde recepta praxis habet, quod delegati, antequam incipiant exercitium suæ commissionis, soleant se legitimare; id est, legitimam sibi factam commissionem probare per exhibitionem originalium litterarum suæ delegationis.

45. IV. *Ordinarius potest sententiam a se latam exequi: secus in delegato inferioris a principe.* — Quarto judex ordinarius potest sententiam a se latam exequi: econtra delegatus ad causam particularem ab alio, quam

a principe, non potest exequi suam sententiam, sed debet executionem deleganti remittere; ut l. *A divo Pio* § 1. ff. de *Re judicata*, ibi: « Judicium a se datorum, vel arbitratorum sententiam exequantur ii, qui eos decernunt: » ac tradit Bartolus ibidem cum aliis. Idem desumitur ex c. *Si quis contra*, 4, de *Foro compet.* ubi episcopus, qui ut suspectus legitime recusatur, potest dare delegatum partibus non suspectum, cujus sententiam ipse exequatur.

46. *Refertur contraria Glossæ opinio quoad secundum membrum.* — Verumtamen Glossa in cit. c. *Si quis contra*, §. *Ipsius sollicitudine*, hoc impugnat, assertique dici posse, quod istud capitulum habeat locum, cum ordinarius est præsens, eo autem absente delegatus bene possit exequi sententias suas. Quia (subdit Glossa) ex quo sibi causa committitur, intelliguntur sibi omnia esse commissa, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, et sine quibus causa expediri non potest, c. *Præterea*, 5, et c. *Suspicionis*, 39, h. t. Verum, quidquid sit de hac Glossa opinione,

47. *Delegatus Papæ potest per seipsum exequi sententiam.* — Certum imprimis est, quod delegatus Papæ possit per seipsum exequi sententiam a se latam, c. *Significasti*, 7, h. t.; nisi malit eam judici ordinario demandare, ut c. *Significasti*, 7, et c. *In litteris*, 9, et c. *Pastoralis*, 28, h. t.

48. *Alii etiam delegati ante sententiam possunt partes citare, et contumaces punire.* — Deinde etiam alii judices delegati, ante sententiæ prolationem non solum possunt partes citare, sed etiam contumaces punire, cit. c. *Præterea*, 5, h. t. Nam, quando jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest; ut dicitur l. 2, ff. de *Jurisdict. omn. jud.* et c. *Præterea*, 5, h. t. junctis concordantiis a Glossa, §. *Ex eo quod causam*, relatis.

49. *Ac probabiliter spectato jure canonico sententiam exequi; licet secus sit de jure civili.* — Tandem satis probabiliter dici potest, quod spectato jure canonico etiam delegatus inferioris possit suam sententiam exequi, quando delegans habeat talem potestatem exequendi, sive hanc eidem expresse concesserit (nam ea, quæ sunt meri imperii, possunt de jure canonico delegari, juxta Glossam magnam c. *Quod sedem*, de *Offic. ordin.*) sive non; quia jam accessorie videtur concedi, per jura num. 46, citata, cum similibus. Licet secus sit de jure civili, cum

secundum istud ea, quæ sunt meri imperii, delegari nequeant, juxta dicenda n. 79, sicque patet ratio diversitatis inter jus utrumque. Atque ita tenet, et pluribus firmat Abbas in c. *Si quis contra*, n. 32, et seqq. de *Foro compet.* ac sequitur Maranta, cit. part. IV, *Speculi aurei*, dist. 5, n. 45. Neque obstat d. c. *Si quis contra*, de *Foro compet.* Nam loquitur solum in delegato dato propter suspicionis causam: unde, cum post latam ab eo sententiam cesset suspicio in exequendo, merito ejus executio reservatur judici ordinario.

50. V. *Jurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis: bene tamen delegata, re integra.* — Quinto differt jurisdictio ordinaria a delegata: quia jurisdictio ordinaria non extinguitur morte concedentis, v. g. Papæ, ut c. *Legatos*, de *Offic. legati*, in 6. Dummodo excipias jurisdictionem vicarii generalis episcopi, propter dicta tit. præc. § 4, num. 99. Econtra vero jurisdictio delegata expirat, si delegans re integra moriatur, c. *Relatum*, et c. *Licet undique*, de *Offic. delegat.* juncta l. *Et quia*, ff. de *Jurisdict. omn. judic.*

51. *Et quæ sit ratio disparitatis?* — Ratio disparitatis est quia per concessionem jurisdictionis ordinariæ fit gratia ipsi, cui conceditur, utpote qui in dignitate constituitur: gratia autem facta non expirat morte concedentis, c. *Si cui nulla de prebend.* in 6. Econtra per jurisdictionem delegatam non fit gratia seu favor, sed quoddam mandatum faciendi justitia: mandatum autem expirat morte mandantis re integra, l. *Mandatum*, c. *Mandati*; Sanchez, lib. III, de *Matrim.* disp. 22, n. 55 et 59, cum aliis.

52. VI. *Jurisdictio ordinaria est favorabilis: delegata vero est odiosa, et strictè interpretanda.* — Sexto differunt: quia jurisdictio ordinaria est favorabilis; delegata vero est odiosa. Glossa cap. 1, §. *Processus*, de *Rescriptis*, in 6; Maranta, cit. part. IV, dist. 5, n. 30; Sanchez, cit. lib. III, disp. 35, n. 9, et alii. Ratio est: quia jurisdictio delegata derogat ordinariæ: ac proinde, veluti huic præjudicialis, merito censetur odiosa, sicque est strictè interpretanda, neque extenditur de casu expresso ad non expressum, aut de persona ad personam; adeo, ut etiam de ipsarum partium consensu, ad personas non expressas in rescripto prorogari nequeat. Textus est in c. P. et G. 40, h. t.

53. VII. *Judex ordinarius nequit ut suspe-*

etiam tam facile recusari, sicut delegatus; et cur? Jurisdictio ordinaria est cuiusdam naturalis; delegata vero accidentalis, et superinducta. — Septimo differunt: quia quamvis iudex ordinarius ut suspectus, saltem de jure canonico, recusari possit, c. Si quis contra, 4, de Foro compet. tamen causae illae, ex quibus posset recusari delegatus, non semper sufficiunt ad recusandum ordinarium, sed debent esse de gravioribus. Hostiensis in Summa, l. t. § de Recusatione iudic. delegat. n. 3; Engel, tit. de Offic. iudic. ordin. num. 5, et alii. Ratio est: quia delegata jurisdictio cuiusdam est accidentalis, et superinducta; contra jurisdictio ordinaria est naturalis, et vi proprii officii competens, ut in simili tradit Glossa in Clem. ult. §. Nolumus, de Offic. iudic. ordin. Atqui natura fortior est accidente, § Sed naturalia. Instit. de Jure natural. gent. civil.

54. VIII. Appellatione Magistratus, non venit delegatus, sed tantum ordinarius. Alia differentiae. Remissive. — Octavo differunt: quia appellatione Magistratus non venit delegatus, sed tantum ordinarius. Maranta, cit. part. IV, dist. 5, num. 49, post Paulum de Castro, et Alexandrum in l. Eum qui, ff. de Jurisd. omn. iudic. Tacenter plures aliae differentiae, quae partim ex dicendis patent, partim apud Marantam loc. cit. et alios, videri possunt.

§ III.

DE POTESTATE DELEGANDI, QUIQUE POSSINT ESSE JUDICES DELEGATI.

55. Iudex ordinarius potest regulariter causam ad se pertinentem alteri delegare. — Quaeritur I. An iudices ordinarii habeant potestatem delegandi? Resp. I. Regulariter loquendo, seu nisi causae qualitas aliud deponat, potest iudex ordinarius, seu is, ad quem causae definitio jure ordinario pertinet, eam alteri delegare. Patet hoc ex c. Cum episcopus, 7, de Offic. ordin. in 6, ubi ex eo, quod episcopus in tota diocesi jurisdictionem ordinariam habeat, indubium esse concluditur quod in quolibet suae diocesis loco non exempto, per se, vel per alium, hoc est, a se delegatum, possit pro tribunali sedere. Concordat textus in l. More majorum, et l. Solet, ff. de Jurisd. omn. iudic. ubi is suam jurisdictionem delegare posse censetur, « qui eam suo jure, non alieno beneficio habet, »

ut Papa respectu totius orbis christiani, Imperator in imperio, Rex in suo regno, imo et praetor, magistratus et quilibet iudex ordinarius respectu proprii territorii. Nam cum isti propter causarum ad se devolutarum multitudinem, locorum distantiam, et alia rationabilia impedimenta, non semper sufficienter ad omnes causas per se ipsos agnoscendas, ac decidendas; hinc ob bonum commune subditorum, ac ipsomet jure sic permittente possunt earum cognitionem aliis delegare, sicque de ipsis vel per se, vel per alios iudicare; ac procedit tunc reg. 72 juris in 6. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum, » cum similibus.

56. Non tamen totam suam jurisdictionem, inconsulto principe. — Resp. II. Nihilominus iudex ordinarius non potest totam suam jurisdictionem, inconsulto principe, alteri delegare. Ita Felinus in c. Super questionum, § Si vero, n. 17, de Offic. delegat.; Maranta, part. IV, Specul. dist. 5, n. 55; Sanchez, lib. III, de Matrim. disp. 31, n. 12; Pirhing, h. t. n. 3, et alii; tum quia committendo alteri totam suam jurisdictionem, non tam censetur delegare, quam officio suo ordinario sese abdicare; quod nequit fieri inconsulto principe, L. penult. cum ibi notatis, ff. de Offic. praesid.; tum quia iudex inferior principe non potest propria auctoritate loco sui alium iudicem ordinarium constituere; id enim est singulare privilegium competens supremae potestati principis, lib. II, Feud. tit. 56, Quae sint regalia. Hoc autem fieret delegando totam suam jurisdictionem, sicque nihil sibi reservando; ergo.

57. Delegatus principis potest alteri causam subdelegare: non vero delegatus inferioris, nisi sit delegatus ad universitatem causarum. — Quaeritur II. Utrum iudex delegatus habeat potestatem subdelegandi? Resp. I. Delegatus principis potest alteri causam subdelegare, non autem delegatus alicujus inferioris absque speciali hujus concessionem; nisi sit delegatus ad universitatem causarum. Ita Glossa in c. Cum causam, 62, §. Delegatus de appellat. et ibi Abbas n. 4, et Fagnanus n. 2, et seqq. aliique passim, contra Bartolum in l. More majorum, n. 11, ff. de Jurisd. omn. iudic. ubi contra alteram partem conclusionis tenet, quod etiam delegatus inferioris ad unam causam, possit eam delegare: sed ejus opinio communiter reprobat. Siquidem

58. Delegatus principis potest alteri causam

subdelegare: non vero delegatus inferioris, nisi sit delegatus ad universitatem causarum. — Prima et secunda pars satis clare habetur ex textu cit. c. Cum causam, § fin. de Appellat. ibi: « Cum non nisi delegatus a principe causam alii valet delegare: » ac proinde delegatus inferioris aperte dignoscitur esse exclusus, cum non nisi delegatus principis (nam de delegato ad universitatem causarum alia jura idem affirmant) haec potestas competere dignoscatur, ac delegato inferioris alias nullibi idem concessum esse reperitur: nisi forsitan cuiusdam talis potestas in delegatione sua expresse fuisset concessa. Accedit ratio: quia, si quilibet delegatus causam alteri subdelegare valeret, si posset hic iterum eam delegare tertio, ac iste quarto, et sic daretur processus in infinitum: atque infinitas est a jure reprobata, c. Cum in multis de Rescrip. in 6, junctis concordantiis ibidem a Glossa, §. Multis, relatis.

59. Et quae ratio disparitatis inter delegatum principis, et inferioris? Principis nomine quis intelligatur? — Nec urget, quod delegatus principis possit subdelegare; tum quia hinc nulla sequitur infinitas, cum illico in primo subdelegato detur status; tum etiam, quia delegatus principis (ut puta Papae, Imperatoris, Regis, aut alterius, qui superiorem saltem in temporalibus non recognoscit, quales sub nomine Principis, intelliguntur ut explicat Abbas in c. Pastoralis, n. 2, h. t.) Antonellus de Regim. Eccles. lib. V, cap. ix, propter eminentiam supremae potestatis principis, cujus personam ille representat, ex speciali dispositione ab ipsomet jure concessum fuit, ut in casu legitimi impedimenti, quominus causam per seipsum expedire valeat, possit hanc alteri subdelegare, vices suas committendo eidem; ut l. A iudice, C. de Judiciis, et c. Super questionum, 27, § Si vero, et cap. cit. h. t. et cit. c. Cum causam, 62, de Appellat. et alibi.

60. Delegatus Papae nequit subdelegare causas graves. — Intellige, dummodo causae non adeo sint graves, ut sine ipsius delegati praesentia non possint commode terminari, c. Si pro debilitate, 3, h. t.; quia pro causis tam gravibus praesumitur electa a principe industria ipsius delegati, ejusque fides specialis, cap. ult. § Is autem, h. t. et c. Is cui eod. in 6, sicque causas ejusmodi alteri subdelegare nequit. Idemque dicendum, quando delegatus per se, vel suis manibus, causam expedire jussus fuit: quia tunc per talem

loquendi formulam designatur praecisa personalitas, sicque censetur electa industria personae, L. un § Ne autem, vers. Sin vero talis, c. de Caducis tollend.; Menochius, de Praesumptionibus, lib. II, praesumpt. 21, n. 7; Sperellus, decis. 106, Fori ecclesiast. n. 26, etiam negotium esset leve; Felinus in cap. ult. n. 3, h. t.; Antonellus, de Regim. ecclesiast. lib. V, cap. ix; Sperell. loc. cit. n. 3; Mascardus de Probation. concl. 595, n. 6, idemque fit, quando in delegatione fuit addita clausula: « Confidentes de industria, seu circumspectione tua, » etc. quia tunc pariter censetur electa industria personae. Abbas in c. Quoniam, 14, n. 8, de Offic. delegat.; Mascardus, cit. concl. 595, n. 4, Menochius, de Praesumpt. 21, n. 17; Sperellus, ubi supra, n. 56. Sicque delegatus ejusmodi non poterit subdelegare, aut per alium expedire, saltem partibus contradicentibus, vel si a Papa eidem motu proprio delegatio facta fuit. Alioquin enim, quando ad instantiam partium delegatio facta est, bene potest eidem consentientibus fieri subdelegatio, licet fuerit electa industria personae: nam quia tunc agitur de partium interesse particulari, procul dubio huic renuntiare poterunt, c. Si diligenti, 12, de Foro compet. estque expressum in cap. ult. § Is autem, ubi Innocentius, et Abbas numer. 2, h. t.; Sperellus cit. decis. 106, n. 58; Menochius, de Praesumpt. 21, n. 18, allegans alios.

61. Nec malitiose a causae discussione se exonerare. Istud tamen de eo non est praesumendum. — Deinde dicta prior pars conclusionis est intelligenda, dummodo ipsemet delegatus principis malitiose se non quaerat exonerare, seu a causae discussione subtrahere, c. Pastoralis, 28, § t. h. t. Ubi tamen Glossa, §. Exonerare, et doctores merito notant, non esse facile praesumendum, quod iudex delegatus malitiose causam alteri committat: tum quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda, c. Estote de Reg. jur. et l. Semper in dubiis, ff. eod., tum quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi contrarium appareat, c. Dudum, 16, de Praesumpt. et alibi. Atque ideo subdelegatio, per delegatum Papae facta, reverenter debet acceptari ab inferiore; nisi de dicta malitiosa ejus exoneratione appareat saltem per probabiles conjecturas, arg. cap. II de Renuntiat. in 6 et l. Dolum, c. de Eolo, cum similibus.

62. Delegatum ad universitatem causarum posse subdelegare, probatur. — Ultima tandem